INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM A. MDCCCLV.

A DIE XVI. MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

INEST FR. HAASII DISPUTATIO DE TRIBUS TIBULLI LOCIS TRANSPOSITIONE EMENDANDIS.

TYPIS UNIVERSITATIS.

RECTOR ET SENATUS

S. P. D. COMMILITONIBUS.

Quod saepe multos vestrum, commilitones humanissimi, conquerentes tum audivimus, cum ad finem fere academicorum studiorum pervenerant, periisse sibi quasi viae quodam errore et consilii perversitate magnam temporis, magnamque laboris partem, id ne vobis accidat, pro se quisque prudenter et diligenter providere debet; quare cum tradimus vobis locupletissimum scholarum omne genus indicem, quae in proximam aestatem studiis vestris offeruntur, vehementer hortamur, ut et recte eligatis quae cuique vestrum vel necessaria vel utilia maxime erunt, et electa ut strenue et convenienter pertractetis. Et ad eligendi quidem prudentiam parata vobis sunt praeceptorum vestrorum consilia, si iis uti volueritis, quae ne levitate aut nimia confidentia spernatis neve prava quadam verecundia refugiatis, magnopere suademus. In iis vero quae vobis tamquam pensa in aestatem proximam constitueritis, vestrum erit, ut praeceptorum diligentiae parem afferatis constantiam et alacritatem; neque enim aut vobis sufficere videri debet aut nobis maxime probari potest eorum assiduitas, quorum unus labor in eo cernitur, quod scholis nostris sedulo assident celerique calamo verba nostra excipiunt; neque etiam illud satis est, si quae audiveritis, relegatis diligenter et memoriae mandetis, nisi etiam hoc vobis negotii datum esse credetis, ut vestro adhibito iudicio reliquisque usi auxiliis quae vobis bibliothecae et musea et variae academiae nostrae opes et opportunitates praebent, ipsi ea, quae vobis tradimus, accurate consideretis et examinetis, et si quid vel ambiguum vel obscurum vel etiam falsum visum fuerit, id non socordes transmittatis sed excutiatis diligenter, donec per dubitandi et quaerendi laborem multiplicem perveniatis ad illum studiorum fructum pulcherrimum et nobilissimum, qui est in veritate recte ac proprio labore quaesita et ab omni parte firmata; scilicet haec est studiorum

ratio ac natura, ut eos quidem, qui non per ignaviam levi aliqua delectatione tempus fallere vel inanem variae cognitionis speciem captare satis habent, sed qui generoso animo ipsam verae scientiae solidaeque eruditionis praestantiam amplectuntur, difficilia multo magis alliciant quam facilia et cum labore crescat amor studii et dulcedo. Nobis vero non ea vanitas est, ut in perpetuo hoc quasi cursu litterario iam ad metam primi nobis pervenisse videamur, sed quam ipsi strenue ferimus lampada, eam vobis ita tradimus ut integrato labore longius feratis ardentem, donec vobis quoque novi cursores succedant; in quo certamine ut nulla eorum laus est, qui laborem fugientes in herba recubare malunt quam currere, ita vos cupimus non per inertiam in verba nostra iurare nostramve auctoritatem vestri iudicii vestraeque persuasionis loco habere; nec falsa vos volumus modestiae specie abduci, quae saepe desidiae velamentum est, quasi vero non infinitus in omni scientia magnarum parvarumque rerum numerus sit, in quibus vel mediocria ingenia et tirones, modo sincero et forti animo verum quaerant, possint bene merendi materiam reperire. Nec vobis difficile erit, si in suo quisque studio attendere volueritis, exemplis cognoscere, quotiens doctorum virorum errores diu propagati sint et neglecti, quotiens denique post longum tempus sublati, idque saepe ab iis qui ingenio et doctrina erroris auctoribus longe inferiores essent.

Exempla talia haud pauca praebet I. I. Scaliger, qui divino paene vir ingenio et doctrina admirabili nec minore sui fiducia tantam auctoritatem adeptus est, ut inter clarissimorum eius operum admirationem errores multi pari veneratione colerentur; veluti accidit in Tibulli carminibus, quae ille quamquam haud paucis locis praeclare emendavit, simul tamen miro quodam egregii acuminis abusu gravissime corrupit; cum enim non sine causa crederet Tibulli versuum non exiguam partem transpositione et confusione laborare, versus plurimos audacissime traiecit, adeo quidem ut ipse fateretur ad carm. I, 1, 58, quomodo haec suo loco luxata fuerint, facilius esse mirari quam eius rei rationem reddere. Simul professus est, cum e gravi valetudine vix restitutus graviorum studiorum nondum capax esset, forte se incidisse in Catullum, Tibullum, Propertium; recensendis autem tribus poetis ne unum quidem se mensem impendisse deo etiam teste laudato affirmavit, atque ex eo mense viginti dies scribendis commentationibus criticis datos esse; quare quamquam facile erat suspicari in illa valetudine et in tanta festinatione summum virum ab errore sibi non plane cavere potuisse ac Tibulli maxime carmina non tam criticae artis severa lege constituta esse quam quodam ingenii lusu, cuius ratio reddi non posset, tamen, cum rem illam ita perspicuam esse asseverasset, ut eam negare diceret esse caecitatem oculis suis consciscere, CXXX annis post I. Broukhusius, credo ne caecus videretur, ingentem codicum mss. copiam prae Scaligeri auctoritate sprevit reliquitque

I. A. Vulpio hanc laudem, ut primus Scaligeri transpositiones tolleret atque etiam argumentis confutaret; neque ab eo tempore quisquam repertus est, qui illas repeteret aut aliquo modo defendi posse crederet. Nam si ab Sam. Henlejo discedas, de quo narrat Heynius p. XIX, reliqui omnes eum carminum versuumque ordinem religiose tenuerunt quem libris mss. traditum habemus, quem quidem probabiliter enarrare ac defendere vel certe excusare adeo nonnumquam difficile est, ut in tam lubrico negotio non minus miras interdum machinas nec minus vel ingeniosas vel incredibiles artis suae versutias interpretes adhibuerint quam olim in suo genere emendatores. Quare mihi ut antea Scaliger cum asseclis suis in spernenda scriptorum librorum auctoritate, ita qui Vulpium secuti sunt, in ea tenenda ac defendenda nimii fuisse videntur.

Nolo nunc altius repetere et pluribus singulatim exponere qualis mihi Tibulliani huius voluminis fortuna fuisse videatur; sed probo adhuc, quod olim in Dissenianae editionis censura dixi*) videri mihi totum hoc dispar variorum carminum corpus collectum in domo Messallae, non ut in publicum ederetur neque quod unius auctoris carmina essent, sed quod servabantur coniuncta, quaecunque ad Messallam eiusque familiam pertinebant. Quamobrem probabile est, Tibulli carmina illata illi corpori tum esse cum primum scripta sunt, in publicum autem edita aliquanto post, novis auctoris studiis perpolita et emendata; quo factum est, ut duplex extaret Tibullianorum carminum collectio, publicata altera, quae nihil contineret nisi quae re vera Tibulli essent, eaque novae recensionis, altera privata, in qua primam formam habebant Tibulli carmina et coniuncta erant cum aliorum auctorum diversis carminibus Messallae domum spectantibus. Atque domesticum hoc exemplum diu latuisse probabile est; nam Sulpiciae certe carmina quaedam nemo credet aut eo consilio scripta, ut ederentur, aut illa superstite et volente edita esse; unde apparet quomodo factum sit, ut grammatici aliique scriptores veteres, quippe qui publica illa editione uterentur, neque e tertio quartove libro locum ullum proferant, et in iis quae primi secundique libri sunt, diversam recensionem sequantur; scilicet in magna illa bonorum librorum pernicie, quae Cassii Parmensis, Cornelii Galli, Domitii Marsi, aliorum carmina abstulit, periit etiam Tibulli illa publica editio successitque in eius locum exemplum aliquod e Messallae domo prolatum, e quo et recentiores libri fluxerunt omnes, quibus nunc solis utimur, et vetustiores illi, unde derivata sunt excerpta Vincentii Bellovacensis et Frisingensia et quibus usus est Scaliger, itemque veteris codicis fragmentum Cujacianum, quod idem Scaliger usurpavit. In tanta autem vetustiorum librorum penuria quidquid hodie vitiorum in carminibus Tibulli haeret, id

*) Jahrbb. für wissensch. Krit. 1837. Jan. pag. 40 sq.

quomodo ortum sit, non licet ordine persequi; sed bene agitur, si indagaverimus quae seculo XV Italorum industria vel emendata vel corrupta sunt; reliqua sic fere, ut nunc leguntur aut non multum discrepantia verisimile est iam in seculi X libris fuisse; interiecto enim tempore vix crediderim multa novata esse, praesertim cum exempla Tibulli rara fuerint. Quare si quid gravioris vitii est, id consentaneum est, non potest seculum X ac fortasse iam vetustis temporibus depravatum esse; quid quod etiam primum illud exemplum ab ipso poeta Messallae oblatum fortasse negligentius scriptum fuit, quippe quod Tibullus amico non ut servaretur dedisset sed ut interim cognoscerentur carmina, quae postea diligentius scripturus et editurus erat. De aetate igitur vitiorum incerta res est, ipsa vero vitia quaedam nunc monstrabo quae adhuc eo magis latuerunt editores, quod Scaligeri libidinem aversantes de turbato versuum ordine aliquid suspicari non ausi sunt; et eiusdem audaciae ego quoque crimen reveritus diu meis ipse coniecturis obstiti, donec visae mihi sunt rationibus gravissimis confirmari.

Atque illud quidem facile mihi videor evincere, lib. I. carmini 10 qui in fine adjecti sunt versus octodecim, non eiusdem carminis esse; in ea enim re hactenus certe assensus mihi est gravis auctor M. Hauptius, ut in ed. Lips. post v. 50 lacunae signa poneret. Neque opus est verbis multis inventum hoc exornare; facile enim apparere arbitror et versu 50 aptissime elegiae X clausulam fieri et qui sequuntur versus neque potuisse particula *que* adiungi praesertim post tertiam vocem posita, neque argumentum eorum versuum tale esse, ut id ullo modo cum elegia X coniungi possit; in qua videmus poetam ab execrandis bellis bellorumque causis exorsum magna animi aegritudine queri quod ipse invitus ad bella trahatur; precatur Lares, ut aerata hostium tela a se depellant, aversatur tristem militis mortem, ipse autem cupit rusticus et inglorius inter pacis beneficia ad senectutem pervenire; quae omnia quoniam non sine tristi quodam ob instantis militiae necessitatem desiderio explicat, fieri profecto nullo modo potest ut subito ad argumentum laetum ac iocosum delabatur. Nam illud quidem facile credas, ut vitam rusticam et pacis bona sibi exoptabat, ita eum etiam laetos rusticorum dies festos celebrare cupivisse; nec alienum erat, si eorum mentionem fecisset, quamquam id nimium fere erat nec conveniebat pacis bona ita particulatim enarrare; verumtamen si id facere voluisset. certe facere non poterat sine eadem sui doloris significatione et sine laborum cogitatione, qui militi essent pro laetis rusticorum festis perferendi. Nunc vero subito eo aufertur, ut non totius festi diei celebritatem ac laetitiam animo cogitet, sed unam extremam eius et valde singularem partem commemoret; scilicet rusticus e luco sub noctem male sobrius uxorem plaustro progeniemque domum vehit: hocne ergo primum ei in mentem venisse credemus? non autem dicere, qua religione quem in lucum rustici pervene-

rint, quomodo deos coluerint, quem deinde post sacra diem egerint inter vina et festas dapes? illa ergo ante omnia delectabilis rei imago est, quod rusticus cum suis domum revertitur? At addit alia; scilicet Veneris bella enarrat; ac profecto haec quoque fuit Tibullo suavissima cogitatio; sed quis eum ita totum alium fieri potuisse putabit, ut vera bella, ad quae tunc trahebatur, ex animo effluerent, summaque securitate quasi ipse inter rusticos versans illa Veneris bella etiam praeceptis regere institueret, et diligenter explicare, quid amanti in puellam liceat, quid non liceat? quae omnia ita seria sunt, ut tamen a laeto proficiscantur animo et securo et ad temperandum ludum iocumque pertineant, de qua re nemo cogitare potest, nisi qui ipse tutus pacis bonis fruatur; quid quod tum certe, cum eum, qui manibus in puellas saeviat, ad militiam ablegandum dicit, in hanc cogitationem redire par erat, sibi nihil tale merito instare militandi necessitatem? Denique in fine dubium non est quin, si quid precari volebat, illae preces repetendae fuerint, quas v. 15 et 25 de sua salute fecerat, nec potuit quasi rusticus nihil aliud precari quam pacem et annum fertilem.

Sed haec ut dixi, et Hauptio persuasi et puto ita manifesta esse, ut in controversiam venire non possint; illud vero difficilius est dicere unde versus octodecim translati sint, de qua re quamquam non habeo eundem coniecturae meae adiutorem, puto me tamen quod probabile ac paene certum sit invenisse.

Primum autem manifestum est et Tibulli esse versus illos et alius esse carminis particulam; neque enim per se soli constare possunt; agitur autem de festo agresti in luco celebrato, unde rusticus, qui uxorem habet et liberos, male sobrius suos domum vehit, quod par est sub noctem fieri; ad idem tempus pertinet quae sequitur *tunc* particula; etenim Veneris quoque bella, quae deinceps memorantur, dubium non est quin nocturna sint. Quare verisimile est, in eo carmine, ex quo haec particula decerpta est, de festo agresti actum eiusque descriptionem usque ad noctem perductam esse; in nocturna autem parte cum ita versetur Tibullus, ut magistrum agat non nimis severum, consentaneum est pari praeceptorum hilaritate etiam reliquum carmen conditum fuisse; denique quoniam peracta ultima festi parte, quae est nocturna, adiunguntur vota de pace alma, quae annum fertilem adducat, scilicet ut a periculis bellicis et frugum penuria tutis rusticis festos deorum dies etiam in posterum celebrare pari securitate liceat, qua in re aptissime totum carmen concluditur, consectarium est reliquae carminis parti clausulam aptam deesse.

Iam vero videat mihi aliquis quam mire haec omnia conveniant in libri II carmen primum, a cuius fine ego versus illos octodecim avulsos esse dico. Nam primum in eo carmine describitur lux sacra, qua ambarvalia celebrantur; purgantur agri, purgantur

agrestes, sicuti dixit Tibullus I, 1, 35 quotannis a se pastorem suum lustrari. Iubentur festo die ab omni opere cessare et homines et boves et ipsa etiam humus requiescere; iubentur rustici omnes casti et puri adesse candida cum veste; his comitantibus fit sacrificium agno, quam nunc exigui soli hostiam solennem esse dixit I, 1, 22; preces ad deos fausto omine confirmantur. Sacra tam laeta sequuntur ludi, dapes, vina; et turba vernarum casas extruit, ut appareat in luco rem agi; inter quae poeta absentis amici Messallae reminiscitur, eumque vult sibi favere dum rura canit rurisque deos; scilicet reliquerat eum in Asiam proficiscentem, quia furorem maris tristesque pluvias ferre non potuerat, vid. I, 3, 1. 1, 50, et deinde militiam prae rustica vita spreverat; itaque vitae huius laudes celebrat, inter quas postquam ad amores pervenit, redit ad festum quod agitur et vult a suis etiam Amorem invocari; id vero sedulo facit turba iocosa iuvenum puellarumque obstrepente etiam tibia, quae ut ait Virg. Aen. II, 738, choros indicit; nec obstat poeta; ultro etiam hortatur: *ludite: iam Nox iungit equos.* Apparet igitur postquam sacrificium et dapes paratas et ludentem vernarum turbam et casas extruentem et vina denique diem celebrantia commemoravit, non singulatim enarrasse quid per totum diem actum sit, illa enim sufficiebant; itaque iam ad noctem appropinquantem pervenit, quo tempore consentaneum est rusticum maritum cum uxore et liberis domum reverti, male illum quidem sobrium, id quod decebat, vid. v. 29, sed tamen iunioris turbae lascivia, quae tum maxime vigere incipit, abstinentem. Quare intellegitur aptissime fieri ab elegiae II. 1, v. 90, transitum ad eleg. I. 10, v. 51, ac vide, quam etiam suaviter coniungat poeta Noctem equos cum maxime iungentem et rusticum plaustro suos domum vehentem. Iam vero de clausula quaeritur, quae non aliqua solum sed etiam inprimis apta et ornata esse creditur vulgaris illa, quae est in Nocte eiusque comitibus commemorandis; et vero si prima specie decepti putemus iam omnia quasi conquiescere et silentio sepeliri cum nox accedit et nocturna sidera et somnus cum somniis, ut quod Varro Atacinus dixit, *omnia noctis sint placida composta quiete,* facile concedimus recte in illo silentio ipsum etiam poetam conticescere. At non fuit ea Tibulli mens, si recte attendimus; quid enim? an credibile est, quae antea in universum de Amoris potentia dixerat deque duplici eius vi, cum aut miseros reddit, quos graviter urget, aut felices, quibus placidus leniter afflat, ea omnia non in rem praesentem adhiberi aliter nisi ita, ut et Tibullus precetur deum, et reliquos sibi quemque vocare eum iubeat? imo ipse satis significat, non in hoc voto se acquiescere; cum enim antea voluisset clam sibi quemque deum advocare, iam permittit, ut id etiam palam faciant; itaque laxantur iam verecundiae frena et obstrepenti turbae iocosae inter laetissimum tibiae sonum ipse poeta concedit ut iam apertius inter se ludant; iam enim, inquit, Nox appro-

pinquat et lascivus siderum chorus, quasi dicat: iam tempus est ludere audacius; non igitur finem rebus nox affert, sed novum initium, atque id ipsum *iam* particula significat; nec profecto iocosam turbam, quae modo tibiis obstrepere coeperat et ludere iussa erat, subito quiescere putabimus propterea quod Nox iungit equos nec iam accessit sed accedere parat; adducit enim simul siderum lascivum chorum, ad cuius exemplum illa quoque turba exsultabit et lasciviet; nec curabit somnum et somnia, quae eadem Nox adducit in severiorum scilicet hominum usum, qui cum uxoribus et liberis iusto tempore domum se recipiunt. Cum igitur duplex sit in nocte appropinquante quasi invitatio, rectissime atque etiam necessario adiunguntur versus octodecim, quibus et rusticus maritus cum suis domum concedere et inter iuniorum turbam tunc maxime bella Veneris calere dicuntur. Quare apparet, non solum exitum eum non esse carminis II, 1, qui vulgo videri solet, sed in eo etiam alia quasi praenunciari et introduci, sine quibus pars illa manca est; ac si vel maxime quis statuat apte in somno et somniis finem habere carmen, longe tamen aptius fieri concedendum est, quod poeta sacrae lucis exitum precibus iis terminat, quae pium et religiosum agricolam decent, id quod fit versibus illorum octodecim duobus postremis. Denique illud quoque addam, expectari debuisse, ut poeta, qui palam suos amorem fateri et ludere inter se iussisset, id ne immoderate fieret, aliquo modo caveret; itaque mirum non est, quod versibus a me additis praecipit, quomodo ludendum sit, i. e. quomodo Veneris bella gerenda; induit igitur magistri personam, id quod iam antea fecerat v. 83 sq. item v. 5—14 praeceperat, quomodo ad sacra veniendum esset; item v. 29 et 30 vini largiorem usum indulserat miti illa sapientia usus, quam vel in Platone praedicat Diog. Laert. III. § 39, ubi cf. Menag. itaque in amoris quoque lusibus admodum lenia par erat eius praecepta esse, praesertim cum et de die festo agatur et ipse se tenero amori semper facilem esse I, 3, 57, et mentem semper Veneri deditam habere I, 2, 97, et in his ipsis lascivioribus Veneris bellis bonum ducem militemque profiteatur I, 1, 56. Nec puto illud movebit quemquam, quod cum perfractas fores commemorat I, 10, 54, videri potest scena mutata a luco abscedere, in quo adhuc res agebantur; neque confugiam eo, ut casas intellegendas dicam, quae in ipso luco extructae erant; vid. II, 1, 24; sed nimirum non magnum incommodum est, quod antea quoque agrestibus rebus urbana vitia immiscuit; vid. II, 1, 73; neque hic prohibet quidquam quominus fores rusticarum mulierum intellegamus, non longe illas profecto a luco distantes, ad quas facile iuvenes *κωμάζοντες* pervenirent.

Quae cum ita sint, satis planum me fecisse arbitror nec retineri loco suo posse clausulam carminis I, 10, nec exitum habere carmen II, 1, illam autem si huc reducatur, neque illic quidquam desiderari et hic apertissime id ipsum suppleri, quod

toti carmini consummando deerat. Superest iam hoc unum, ut quomodo ea confusio oriri potuerit, doceamus; neque id nimis difficile est et videtur coniectura etiam indicio quodam ac paene testimonio codicum mss. confirmari. Non autem fugit quemquam transponendorum versuum octodecim occasionem ita facillime oriri potuisse, si male habita codicis compage non bina quaeque folia cohaererent sed singula aliqua soluta essent; uno enim folio ita traiecto, ut quae pagina versa fuerat, recta sit, permutatur ordo versuum; qua in re non difficile est statuere in priore pagina binis puto columnis totos 90 versus scriptos fuisse, quibus nunc elegia II, 1 constat; in altera pagina deinde octodecim illos, reliqua paginae parte ob carminis vel etiam totius libri finem vacua relicta. Sed sive hoc modo, sive alio, possunt enim plures fingi, pagina traiecta est, necessario librarius, qui errorem non animadverteret, versus illos octodecim sine inscriptione positos cum elegia I, 10 continuabat atque addebat etiam subscriptionem, illos versus sequentem, quae potuit talis esse: *Explicit Albii Tibulli secundi libri elegia prima.* Quare cum pugnaret iam subscriptio haec cum eiusdem carminis inscriptione, quae erat elegiae libri I. decimae, alius deinde librarius ut errorem tolleret, inscriptionem videri potest ex subscriptione correxisse, unde factum sit, ut, quod Puccius testatur, in codicibus vetustioribus principium secundi libri esset ab elegia X libri primi; idem Perreium, idem alium virum doctum in ed. Vicentina testari dixerunt Broukhusius et Heynius; denique e nostris codd. eum ordinem teste Heynio unus sequitur Guelferb. 2. In reliquis libris si qua fuit illa quam dixi subscriptio, aut omissa est aut ita correcta ut inscriptioni carminis I, 10 conveniret; quamquam fateor illud maxime dubium mihi esse, rectene cum codd. plurimis atque etiam Vincentii Bellovacensis testimonio carmen illud, cui nunc clausulam suam reddidimus, libri secundi initio ponamus, quod mihi et ob argumenti naturam et ob temporum rationes priori potius libro tribuendum videtur.

Sed mitto et hanc rem, de qua non potest paucis dici, nec persequi volo si qua probabilior potest erroris explicandi ratio reperiri. Qualis enim clades illa fuerit, quae Tibulli volumen afflixit, tum demum poterit accuratius indagari, ubi ipsa vitia certis rationibus demonstrata fuerint. Itaque in prima elegia inter versus sextum et tricesimum quintum versuum ordinem bis in una pagina aut certe in uno folio confusum esse docebo, quod ut fieri potuisse nemo negabit, ita quomodo factum sit, tam obscurum est, quam res ipsa manifesta videtur.

Incipiam ab uno disticho traiecto. Testatur Tibullus v. 11 sqq. eandem suam adversus deos religionem, quam celebravit lib. II, carm. 1; primum venerari se dicit sanctos stipites in agris et lapides in trivio positos; deinde deos agrestes singulatim enumerat et addit quae cuique munera offerat praeter unum Priapum, in quo id tantum

dicit, ubi eum poni et quid auxilii sibi praestare velit; munus autem nullum ei promittit; quam neglegentiam cur ferendam existimemus, in deo quidem ipso causa nulla est, quem si voluisset poeta contemptim praeterire, id quod minime verisimile est, praestabat profecto cum aliis pluribus rusticorum diis hunc quoque silentio tramittere, praesertim cum omissa grati animi testificatione etiam orationis aequalitas laedatur. Quare ut hoc loco ferendus non est deus sine munere appellatus, ita alio loco non feremus munus sine deo commemoratum. Etenim quem tandem deum significari dicemus v. 14, cui poma promittuntur? appellatur *agricola deus* (haud dubie enim aut *agricolae deo*, aut *agricolam deum* scribendum est, quorum ego hoc alterum praefero), qui quis sit, varie coniectaverunt; Muretus Bacchum, Heinsius Terminum, Broukhusius Vertumnum, I. H. Vossius, Bachius, Dissenius Silvanum, Iahnius Larem rusticum intellexerunt; Heynius Priapum potissimum significari statuebat, sed posse etiam Silvanum et Panem esse, quare denique Vulpio assensus est deum quemcunque agriculturae praesidem intellegendum esse. Nec vero dubitari potest, quin appellatio illa ad omnes deos agrestes pertineat; *agricolas caelites* communiter omnes appellat ipse Tibull. II, 1, 36, nec aliter Ovid. Metam. VIII, 276. de nuce v. 9. Non magis tamen dubitandum est, quod iniuria negant Vulpius, Heynius, Wunderlichius, quin certus aliquis deus intellegendus sit, id quod satis apparet ex ipso sacrificio, quo is ab aliis discernitur. Quamobrem ut possit fieri, quod nunc neque potest et fieri necesse est, simul ne Priapus munere suo fraudetur, versus 17 et 18 sunt ponendi post v. 12, aut quod malim versus 13 et 14 retrahendi post v. 18, ut crescente quasi dicendi diligentia breviorem Cereris mentionem sequatur amplior Priapi, et rursus amplior Larum; ita enim fit, ut agricola deus nullus alius sit nisi qui modo nominatus est, Priapus, cui poma vulgo afferri solita notissimum est; et rectissime Heynius de eo primum cogitaverat, nisi eum confusus versuum ordo cum aliis in errorem induxisset. Nec puto iam incertum esse, eundem Heynium cum Wunderlichio recte apud Tibullum I, 5, 27. Priapum intellegi voluisse, ubi rursus Vulpius omnes deos agricolas, Vossius cum Dacerio Silvanum, Broukhusius Bacchum intellexerunt; scilicet si unus ex illis reliquisque rusticorum diis praecipue *agricola deus* appellandus est, erit is Priapus, quem Tibullus ipse dicit I, 4, 7. *Bacchi rusticam prolem*, et Ovidius Trist. I, 9, 26 *ruricolam deum*, et in quem tria illa munera, quae ibi commemorantur, recte convenire satis docent testimonia ab Heynio prolata; nam gregis quoque curam ei fuisse, cuius rei rarior mentio est, locupletem testem habemus Catullum in carm. Priap. LXXXVI, v. 10—15. Quamobrem transposito uno disticho duorum locorum vitium, in tertio autem hoc interpretandi incertitudinem sustulisse nobis videmur.

Denique ineadem elegiae primae parte non dubium mihi est, quin versus decem qui vigesimum quartum sequuntur, ponendi sint post sextum, ut eum, qui nunc est vigesimus quartus, statim sequatur trigesimus quintus; quod si fecerimus, non solum multo aptiorem habebimus versuum ordinem, sed etiam eum, quem ipsi Tibullo placuisse satis perspicua documenta sunt. Atque initium argumentandi faciam ab huius loci fine. Quid igitur meruisse Palem dicemus, deam innocentissimam, ut a reliquorum consortio deorum seiungeretur? Post stipites enim et lapides sanctos vidimus Cererem, Priapum, Lares continuo ordine appellari cum suo quemque munere, quippe quorum pio cultu spem sibi esse Tibullus significat, fore ut bene sibi agri cultura eveniat; quid igitur movere eum potuit, ut interrupto illo deorum ordine rebusque alienissimis interpositis unam Palem solam cum munere suo tamquam seram ac paene omissam appendicem subiungeret? praesertim cum hoc eius esset consilium aptissimum, ut postquam deos singulos appellavisset, universos precibus suis et donis advocaret, id quod facit v. 37, non autem potuit recte facere, nisi antea continuus omnium ordo fuisset. Neque tamen haec una res est, e qua intellegas coniunctum fuisse versum 35 cum v. 24; nec sine causa in illo ita offenderunt Scaliger et Heynius, ut hic ante v. 35 nonnulla intercidisse censeret, ille vero versus 35 et 36 loco suo motos poneret ante v. 11, qua ratione et deorum ordo pervertitur et *nam* particula vim quam habet aptissimam amittit; quae autem excogitata sunt artificia, quo et versus 24 cum sequentibus et versus 35 cum antecedentibus bene coire viderentur, hoc potius efficiunt, ut egregius poeta non suo consilio uti sed quasi caeco quodam casu gubernari credendus sit. Deorum enim cultum concedunt omnes ideo commemorari, quia in eo posita est spes illa, de qua dicit v. 9 et 10; itaque postquam Cererem, Priapum, Lares appellavit, putabimus eum interim Palem oblivisci, quia in Larum mentione venit ei in mentem deberi his etiam aliud quid, scilicet quod possit tranquillus et tutus parvoque contentus domi vivere et partim inertes horas ducere, partim etiam sua manu vel arare vel gregem tueri, quae quidem ita enarrat, quasi nihil aliud acturus fuerit; rursus autem in gregis mentione, quamquam ipsum se modo pastoris vices gerere dixerat, putabimus eum in veri pastoris cogitationem incidere eiusque lustratione quasi in viam reduci, ut iam denique etiam Palem commemoret; postremo putabimus eum illud quoque reminisci, cuius rei causa ab initio deos appellare instituerat, atque ita in versu 37 redire ad initium illud, quod fecerat v. 9—11. Sic enim fere Dissenius statuit de Tibulli arte, nimirum omnium optime; nos vero isto modo magnam poetae ingenio iniuriam fieri credimus. Quamquam vel si omnia illa probabilia esse fateamur, non tamen effectum erit, ut apte positum videatur frequens illud versuum initium *hic ego* v. 35; quod vide quanto aptius sit et infra positum v. 75, et apud Pro-

pert. II, 22, 34, et apud Ovidium Trist. IV, 1, 85. 10, 111. epp. ex P. IV, 9, 35 et alibi; si enim Dissenium secuti *hic* vocem interpretabimur sic ut sit *apud me*, *in hoc exiguo pecore*, cohaerere facimus ea, quae natura sua non cohaerere recte senserant Scaliger et Heynius; ubi enim de furibus lupisque cogitat poeta, tamquam ad eorum misericordiam movendam exigui pecoris mentionem facere potest; ubi Palem appellat, non potest, quia hic non de gregis numero, sed de ipsius religione poetae agitur. Iam vero si versus 35 sequatur versum 24, statim intellegitur, quam recte et perspicue *hic* dicatur; agitur ibi de agno Larum sacro eo ipso, de quo dixit II, 1, 15; et ut illic ait v. 17. *di patrii, lustramus agros, lustramus agrestes*, ita nunc quoque in eodem sacro pastorem quotannis a se lustrari dicit, ut nihil possit manifestius esse, quam huc poetam *hic* illud suum retulisse simulque Palem adiunxisse, quia ea etiam ipsa in ambarvalibus colebatur. Omissis igitur versibus 25—34, una opera et *hic* particula quid sibi velit patefit, nec importuna violentia Pales ab reliquis diis seiungitur, nec Laribus imputatur pars quaedam e vitae rusticae descriptione decerpta, quae hoc quidem loco a poetae consilio vehementer abhorret nec melius coniungitur cum Pale, quae sequitur, quam cum Laribus, qui antecedunt.

Sequitur ut demonstrem in illo quoque loco, quo versus eos transponendos esse dixi, gravia incommoda versari, quae transpositis versibus tollantur. Sed ante moneo perversissimam scripturam miro consensu adhuc servari v. 5. *me mea paupertas vitae traducat inerti*, ubi unice verum est quod Vincentius Bellovacensis et Puccius confirmant et habent codd. Corvin. Guelf. 2, Cuiac. Berol. 4 a m. s. ap. Bachium *vita tr. inerti;* nam et falso creditur poeta nondum versari in vita inerti sed ad eam transire velle, quippe qui contrarium perspicue testetur v. 25, 35 sq., 55 sq., 77, nec potuit unquam Romanus homo dicere *vitae inerti traducere* pro vulgari illo *ad vitam inertem traducere*, cuius rei nemo ullum simile exemplum attulit, nisi vitiosum unum Huschkius; speciosius ego possum proferre ex Gregor. Turon. de miracc. S. Mart. II, c. 16 init. *nauta, qui nos ripae alteri transponere debebat;* sed dativi usum Gregorius longe alium habet quam Romanl scriptores, quod demonstravi ad Gregor. de cursu stellarum § 20 et § 13. Deinde vero ad vitam inertem traducere quomodo paupertas possit, miris argutiis novi interpretes extricare conati sunt. Nimirum vult se poeta in paupertate vitam inertem transducere, quod licuit ei sic dicere: paupertas mea traducat me per vitam inertem; similiter apud Graecos *διάγειν* verbi duplicem usum esse demonstravi ad Xenoph. de Rep. Lacedd. I, 3;*) similiter *transmittere* dicit Statius Silv. I, 2, 167. *viduos ut transmittare per annos*, et expressiore imagine Seneca Oedip. v. 890. *tuta me media vehat vita decurrens via.*

*) cf. quae dixi in censura ed. Dissen. l. c. p. 61. et video nunc mecum facere Hauptium.

Itaque Tibullus postquam primis sex versibus professus est nolle se militiae laboribus ditari sed cupere in paupertate sua vitam inertem transigere, quae nullis calamitatibus interrumpatur, consentaneum est, iam inertis et quidem rusticae vitae suavitatem explicari; positam autem suavitatem esse manifestum est et in ipso vivendi genere et in securitate, si parvum id, quo contentus vivere vult poeta, praesto atque promptum sit; cupit enim, quod in fine dicit, composito securus acervo despicere et divitias et famem. Atque ad securitatem quidem hanc, quae a deorum benignitate speranda est, pertinent v. 9 et 10 et quae de religioso deorum cultu deinde dicuntur omnia; at genus vitae ipsum quis credibile putabit uno illo disticho satis commode ac plene describi: *Ipse seram teneras maturo tempore vites rusticus et facili grandia poma manu*, quibus verbis unum rusticorum operum genus quasi instar omnium ponit idque se velle ipsum tractare dicit, id est, ut recte Dissenius interpretatur, nulla servorum opera usum. Sic enim secum ipse quodammodo pugnare Tibullus videatur, qui cum modo dixerit a militiae laboribus se abhorrere et divitias spernere prae inerti vita, statim tamen et labores se rusticos ferre velle fateatur et expetere rusticas divitias, frugum acervos et pleno pinguia musta lacu. Quid igitur? an genera tantum laborum ac divitiarum permutare voluit? nam etsi non exigimus a poeta elegiaco, ut totam vitam rusticam per partes suas accurata diligentia enarret, unum tamen illud ad describendam eius iucunditatem parum est ac nimis exile, quod sua se manu velle vites et arbores plantare dicit; nihilne aliud erat, quod militum laboribus opponeret? et cur statim in principio pronomen *ipse* ponit quasi cavens sibi ne quid suis manibus laboris detrahatur, cum modo inertis vitae studium insigne professus sit? Proinde si quis mentem et sensum poetae recte considerabit, omnia haec fieri non potuisse concedet. Iam vero ponamus eum statim versus illos subiungere: *Iam modo, iam possum* etc. habemus progressum orationis, qui et rerum naturae et poetae sensui mirifice conveniat; audimus eum gaudio quasi exsultare, quod militiae laboribus exsolutus, quos ferre nequiverat, iam inerti vitae se dedere possit; non se militem longae viae deditum solis aestum et sitim tolerare, sed posse sub arboris umbra ad rivum praetereuntem recubare. Intellegimus iam causam idoneam, cur a militaribus molestiis transierit ad vitam rusticam, quae tam dulcis otii facultatem praebeat. Nec tamen solo illo otio delectari se dicit; *interdum* suave esse ait otium operibus rusticis distinguere; itaque v. 29—34 hanc quoque rusticarum deliciarum partem describit, quod aliquando sua manu bidentem teneat aut boves in arando stimulo increpet aut agnam capellaeve fetum in sinu domum referat; quo loco statim apparet quam apte adiungatur distichum illud: *Ipse seram* etc.; quod, quoniam otiosa et operosa vitae rusticae pars distinguitur, ex altera hac parte decerptum esse manifestum est, neque ulla iam est in pronomine

ipse aut in eius distichi solitudine offensio; denique cur id in enumerandis rusticis negotiis postremo loco positum sit, apertum est; commode enim ab inserendis vitibus et pomis transitus fit ad spem largae messis cultumque deorum.

Satis mihi comprobasse videor, pariter et ob sententiarum naturam et ob verborum intellectum, maxime ob *ipse* et *hic* voces v. 7 et v. 35, necessariam esse eam quam proposui versuum transpositionem; quae si probetur, facile intellegitur totius carminis ordinem parum recte a Dissenio esse explicatum, de qua re nunc dicere nihil attinet. Sed ut facilius de tota re iudicare possitis, locum hunc eo ordine subscribam, quo eum a Tibullo scriptum esse existimo.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
Et teneat culti iugera magna soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
(25) Iam modo, iam possum contentus vivere parvo
Nec semper longae deditus esse viae,
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
(30) Aut stimulo tardos increpuisse boves;
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum;
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
(34) Parcite: de magno est praeda petenda grege.
(7) Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus et facili grandia poma manu:
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
(10) Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
(11) Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
(12) Seu vetus in trivio florea serta lapis..
(15) Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
(16) Spicea, quae templi pendeat ante fores.
(17) Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
(18) Terreat ut saeva falce Priapus aves,

(13) Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
(14) Libatum agricolam ponitur ante deum.
(19) Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
(20) Custodes, fertis munera vestra, Lares;
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
(24) Clamet „io messes et bona vina date.“
35 Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, nec vos e paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.

Examinate igitur hunc suavissimi poetae locum, quem ut iucundum lectu ita etiam dignum esse existimamus, quem cum iudicio legatis; in iudicando autem nec nostram vobis nec aliorum auctoritatem tanti esse volumus, quanti rationes recte et considerate subductas, cuius rei suasorem habete poetam prudentem nunc paene oblivione sepultum Marcellum Palingenium in Zodiaco vitae:

Magni saepe viri mendacia magna loquuntur,
Et nemo est adeo prudens, quin saepius erret.
Est igitur ratio inprimis quaerenda, fidesque
Maior in ambiguis rationi est semper habenda
Quam dictis hominum.

Valete.

Dabamus Vratislaviae mense Ianuario a. MDCCCLV.

ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM.

IOSEPHUS HENRICUS FRIEDLIEB, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Hermeneuticam biblicam et artem criticam* docebit d. Lun. et Iov. h. x. II. In seminario regio theol. sodalium *exercitationes in Nov. Testam.* moderabitur d. Sat. h. v. et vi. Privatim III. *Epistolam S. Pauli ad Hebraeos et epistolam S. Iacobi* explicabit dieb. Mart. Ven. Sat. h. x.

IOSEPHUS IGNATIUS RITTER, Dr. P. P. O. Publice I. *Repetitorium historiae ecclesiasticae* continuabit d. Lun. et Iov. h. x. II. In seminario regio theol. *interpretationem epistolae S. Clementis Romani primae* moderabitur dieb. Mart. et Merc. h. x. III. *Exercitationes homileticas* instituet d. Iov. h. v. Privatim IV. *Historiae ecclesiasticae partem alteram* enarrabit, quinquies per hebd. h. xi.

IOANNES BAPTISTA BALTZER, Dr. P. P. O. Publice I. *Hexaëmeron explicabit ratione habita rerum, quae novissimis temporibus praecipue in Astronomia et Geologia cognitae et stabilitae sunt*, d. Merc. et Sat. h. xii. II. In seminario reg. theol. *exercitationes dogmaticas cum interpretatione capitum ex S. S. Patribus selectorum coniunctas* moderabitur d. Mart. h. iii. et iv. Privatim III. *Introductionis in universam theologiam partem alteram* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xii.

FRANCISCUS CAROLUS MOVERS, Dr. P. P. O. Publice I. *Antiquitates sacras Hebraeorum* tradet dieb. Mart. et Iov. h. vii. II. *Exercitationes exegeticas in Vet. Testam.* in seminario regio moderabitur d. Merc. h. ix. et x. III. *Selecta Vet. Testam. capita* interpretabitur d. Lun. Merc. Ven. h. vii.

IOANNES FRANCISCUS POHL, Dr. P. P. O. Publice I. *De arte homiletica* disseret dieb. Merc. et Sat. h. ix. d. Lun. h. iii. II. *Repetitoria de theologia practica* instituet d. Iov. et Ven. h. iii. Privatim III. *De theologia practica disputare* perget dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix.

FRANCISCUS ANTONIUS BITTNER, Dr. P. P. O. Publice I. *Theologiae moralis partem generalem* tradet dieb. Lun. Merc. Ven. h. ix. II. *Totius theologiae moralis*